

*Flores* glomerati, confertissimi, copiosi in summitate ramorum; seffiles.

Folia floralia & Bractæas distinguere nequeo.

**CAL.** *Perianthium* tetraphyllum, erectum vel leviter patulum: foliolis ovatis, crassis, concavis: exterioribus oppositis, apice gibbioribus; interioribus oppositis, planioribus.

**COR.** nulla.

**STAM.** *Filamenta* quatuor fertilia, calycis foliolis opposita, calycis altitudine, subulata. Præter hæc *Filamenta* quatuor alia sterilia, calycis foliolis interposita, absque *Antheris*.

*Anthera* quatuor, subrotundo-didymæ.

**PIST.** *Germen* minutissimum, elliptico-subrotundum, compressum. *Stylus* nullus. *Stigmata* duo, crassiuscula.

**PER.** . . .

**SEM.** . . .

*Color* Stamina luteus, calycis viridis vel albo-pallidus.

Differt a reliquis 1) floribus quadrifidis. 2) calycinis foliolis quatuor ad basin distinctis. 3) staminibus quatuor. Attamen summam affinitatem arguunt Bractææ, Stamina alterna sterilia, nec non facies; forte tamen ob affine Genus *Illecebræ*, necessarium erit distinguere hanc plantam ab *Herniariis*.

## SALSOLA.

17. **SALSOLA** *vermiculata* fruticosa, floribus spicatis alternis solitariis.

Kali fruticosum hispanicum, tamarisci folio. *Tournef. inst.* 247.

Kali geniculatum aphyllanthes, gilvis paleaceis flosculis, hispanicum. *Barrel. obs.* 501. *ic.* 255. *f.* 6. *sub statu fructifero.*

*Habitat* per colles omnes copiose circa Madritum atque Setubal Lusitanicæ.